



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hiob**

**Brenz, Johannes**

**Haganoæ**

**VD16 B 3079**

Cap. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36516**

puluis, putredo et corruptio: soror nostra est uermis,  
quid igitur gloriamur?

**VBINUNC EST PRAESTOLATIO.**

Id est: quia putredo & corruptio parētes mei sunt,  
frustra expecto liberationem: spe mea cōfundor, neq;  
enim uisum uideo, qui possit expectationi meae satisfacere,  
proinde nihil aliud reliquum est, quā ut mox  
in profundum infernum, unā cum expectatione mea  
decidam, & ad perditionem meam deducar. Porro  
hoc Hiobis desperatio, in nostram doctrinam descri-  
pta est, ut discamus, primum iudicium mortis, nemi-  
nem posse ferre, citra Deum patrem: Deum, ut aperto  
testimonio cognoscamus solum dominū esse bonum,  
ceterum autem hominem mendacem: neq; est, ut no-  
bis sanctorum infirmitate et casu blādiamur, sunt enī  
proposita, non in temerariā nostri excusationem,  
sed in doctrinam fidei & timoris Dei, & ut hinc, no-  
strum ipsorum morbum agnoscamus, agnoscentes  
autem morbum, remedia quæramus.

**CAP. XVIII.**

Respondens Bildad Suites, dicens.  
Quando ponetis finem sermoni?  
intelligatis, & postea loquamur?



ANNO T. IN HIOB

Quare reputamur sicut bestia, sordescimus in oculis uestris?

Dilanians animam suam in ira sua, nunquid propter te derelinquetur terra, & transferetur saxum de loco suo?

QUANDO PONETIS FINEM

Synecdochicos cum uno Hiob, quasi cum pluribus loquitur Bildad, id quod admodum frequens est in familiaribus colloquijs: monet autem Hiobem, ut non sit plus a quo loquatur, aut si omnino loqui uelit, prius colligat secum, quid dicendum sit, ne lingua a uero aberret.

Parcius, & est meditato loquendum.

Bona parænesis, sed in Hiobem malitiose torta, propterea quod Hiob prudentissime, & est fidei intelligentia, de sua innocentia loquatur. Porro uidetur natura nobis ipso linguæ situ significasse, prius esse cogitandum, & intra cor ruminandum quod loqui uelis, linguam enim longe a corde seposuit, præterea osse muro eam conclusit, ut primo interuallum inter linguam & cor intercederet: dein lingua dentibus ueluti excubijs interclusa, non mox erumperet in uocem, nisi ante a corde doctum.

QUARE REPTAMVR SICVT

Quia supra, eos onerosos consolatores, & uerba eorum uentosa uocauit, præterea dixit se inter eos nullum sapientem aut ueracem inuenire, pessime autem habet hypocrisin, si contemnatur.

DILANIANS ANIMAM SVAM.

Contempti



Contemptu quodā, tertiā personam pro secunda  
 usurpat, q. d. Insanis ne? quid ita furis? in quem sto-  
 macharis? dilantabis ne animā tuam? quid clamas?

NUMQUID PROPTER TE &c.

Hoc est, etiam si te ruperis, animam tuam dilantabis  
 ueris, & teipsum occideris, non tamen propter te unū  
 derelinquetur & euacuabitur terra, & transferetur  
 secum de loco suo, id est propter te Deus non muta-  
 bit cōmunem & familiarē operationis suae ordinē,  
 sed etiam Deus impios adfligere: proinde hūc ordi-  
 nem, propter te unū non mutabit, sed perget subinde  
 & te & omnes impios adfligat. Est autē hęc non  
 mediocris fidei tentatio, quod existimemus nos, non  
 tantū respectus esse apud Deum, ut mutet nostri causae  
 sed cōmunes casus & ordinem suum propositū: ordo  
 Dei est, quod cibemur pane, Israhēlitae igitur, sine pa-  
 ne in desertum ducti, nōne apud se tētati sunt, in hūc  
 modum? Deus forte propter nos, non mutabit con-  
 sacrationem suam familiarem: ordo Dei est, quicumq;  
 non permanserit in lege, maledictus est. Num igitur  
 Deus, unius aut alterius causa, hunc ordinem per-  
 uertit maxime, si modo quis habeat Verbum pro-  
 missionis. Constitutum erat, diluuiū omnibus pereun-  
 dum esse, sed ex hoc liberatus est Noha, quia credi-  
 dit: ita & legis sententia, propter pios inuertitur,  
 quia habent Euangelion.

Fides tētatur  
 quoties prae-  
 ter cōmunem  
 naturae ordi-  
 nem sperādū.



A N N O T. I N H I O B.

Sed lux impii extinguet, & non splo  
debit scintilla ignis eius.

Lumen tenebræ sunt in tabernaculo  
suo, & lucerna ei<sup>9</sup> super ipsum extinguitur.

Coartabuntur gressus diuitiarum eius  
& destituet eum consilium suum.

Quoniam missus est in rete pedibus suis,  
& super rete ambulat.

Tenebitur in planta laqueo, fortifica  
bitur super eum sitiens.

Absconditus est in terra laqueus eius,  
& decipula eius super semitam.

Vndiq; terrebunt eum subitæ turba  
tiones, & dispergent eum pedibus suis.

SED L V X I M P I I E X T I N G. & c.

Ab hoc loco usq; ad finem huius capituli, enume  
rat Bildad impiorū iudicia, & maledictiones, quibus  
Hiobem impium probare conatur, quādo uideat eum  
illis affectum: propter te, inquit, non inuertetur  
ordo diuinus, qui est, impios adfligi: hæc autem impij  
maledictiōes sunt, quod lux eius extingatur, & scin  
tilla ignis eius non splendeat, Dominus enim et Ver  
bum eius, uera sunt lux & splendor, ut David ait:  
Dominus illuminatio mea, & alibi: Verbum tuum,  
lucerna



Lucerna pedibus meis est. Vtroq; carent impij, dicentes, in corde suo, non est Deus.

LUMEN TENEBRAE SUNT &c.

Hoc est, in tabernaculis impiorum, pro lumine, tenebrae habitant, ut Mose inquit, percutiet te Dominus amentia, cecitate, & furore mentis, ut palpes in merito, sicut solet caecus in tenebris &c.

COARTABUNTUR GRESSVS &c.

Hoc est, diuitiae impij non augentur, nec consilia eius succedunt: maledicatur enim tam in opibus, quam in consilijs, propterea quod laqueo infidelitatis unctus sit: nam, quum solus Dominus, uerus diuitiarum fons, & solum Verbum eius, consilium sit, ijs contemptis, quid superesset, nisi extrema paupertas & imprudentia? Hanc sententiam ita uertit Graecus,

*Impius infidelitate captus, maledicatur.*

ἐπιπροσέχουσιν ἐλάχισοι τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῖς, nisi ueniant, uel accipiant infimi substantiam eius.

TENEBITUR IN PLANTA LAQVEO

Dominus est uera libertas, quae adquiritur per Christum per fidem: si enim filius, inquit Christus, uos liberauerit, uere liberi estis: iam quum impius contemnat hanc libertatem, ducitur captiuus, & exponitur omnibus sitientibus, id est, tyrannis, qui in alienas opes, ueluti lupi rapaces, inhiant. Est & pius expositus tyrannorum direptioni, unò totius mundi odio, sed longe alia ratione, impius enim, ante iudicium floret,



ANNO T. IN HIOB

in iudicio uero à tyrannis diripitur, ligatur & perditur, hoc est, lupus lupum deuorat, ut uides in rege Aegypti, & in rege Babylonis, Hier. 46. & 50. P. uero ante iudiciū diripitur, & omnibus malis afficitur, in iudicio uero, perditis tyrannis, liberatur.

ABSCONDITVS EST IN TER. & c.

Auibus absconduntur in terra, in semitis decipulae & laquei, inescantur praeterea, ut escis allectae, seipsas imprudenter in laqueos cōijciant: sic impij, inescantur diuitijs, uoluptatibus, bonis, ut uocāt, diebus, sed ante faciē illorū absconditae sunt decipulae, quibus imprudentes, & longe aliud cogitantes, decipiuntur.

VNDIQVE TERREBVNT EVM & c.  
Solutus enim dominus est cōfidentia & fortitudo, solum Verbum eius est uia: relicto itaq; Domino & Verbo, nihil superest, nisi turbatio & error.

Erit fames opulencia eius, & calamitas parata erit ad latus eius.

Deuorabit fortitudinem cutis eius, deuorabit fortitudinē ei⁹ princeps mortis.

Dissoluetur a tabernaculo suo fiducia eius, & deducet ad regem formidinum.

Habitabit in tabernaculo eius nihil, di-  
spergef super tabernaculū suū sulphur.

Subtr



Subtus radices eius exarescent, desuper autem concidetur messis eius.

Memoria eius peribit de terra, ut nec nomen ipsi supererit in platea.

Propellent eū de lumine ad tenebras, & de orbe concutient eum.

Non erit ei filius nec nepos in populo suo, nec superstes de congregatione sua.

Super diem eius stupebunt posteri, & priores adprehendentur pauore.

Certe hæ sunt habitationes iniqui, & ille est locus ignorantis Deum.

DIVERSA LECTIO.

Pro fortitudinem (Hebraeus habet מַצְדָּוָה, id est, membra, fortitudines: uel ut translatio uetus habet, מַצְדָּוָה, ut sit sensus: mors consumet omnia impiorū membra, adeoq; omnem eorū fortitudinem. Vbi Hebraeus habet מַצְדָּוָה, LUTHERVS interpretatus est principem: uetus translatio, primogenita, hoc est, hereditas, à morte primogenitorū in Aegypto. Graecus, τὰ ἰσχυρὰ, id est, speciosa, ut sit sensus: quæ sunt speciosa impij, ea deuorabit mors, sed Lutheri interpretatio magis propria est.

ERIT FAMES OPVLENTIA EIVS.

Nam Dominus, solus est plenitudo & foelicitas,





ANNO. IN HIOB

quo cōtempo, nihil remanet nisi fames & calamitas  
nam & fames, aliās, Deut. 28. inter impiorū maledi-  
ctioes enumeratur. Est autē hęc eadem loquutio, quę  
nos cōmuniter utimur, dicentes, de extremo quodam  
paupere, huius diuitiæ sunt paupertas, significans  
eum nihil aliud, quàm paupertatem possidere.

Maledictio-  
nes impij.

DEVORABIT FORTITVDINEM.

Princeps mortis, hoc est, fortitudo tyrannis, &  
potentia mortis æternæ, obruet impium, deuorabit  
fortitudinem cutis eius, hoc est, consumet omnes impij  
uirtutes: adhęc, formidinū rex, hoc est, terroris &  
formidinis potentia, deturbabit eum ab omni fiducia,  
ut conijctatur in perpetuū horrorem: Timebis inquit  
Mose, die ac nocte, & non credes uitæ tuæ: nec solū  
ipse impius peribit, sed & omnia eius bona maledi-  
centur, in tabernaculo suo nihil remanebit, omnia autē  
unā cū tabernaculo sulphure consumentur: uides hoc  
iudiciū, ut esset exemplar, impletū in Sodoma & Go-  
morha. Sed nec his cōtenta perditio, adprehendat etiā  
omnem fructum, & messis prouentum, iuxta illud,  
maledictū erit horreū tuum, maledictus eris in agro.

MEMORIA EIUS PERIBIT DE TER-  
RA. Impij non solum re, sed & nomine pereunt:  
nam quum florētibus adhuc corū rebus, solt ipsi uul-  
gi sermo erant, post iudicium, nomen quoq; eorum de-  
letur. Contra, in memoria æterna erit iustus: qui enim



in libro uitæ inscriptus est, is nunquam excidit e memoria Dei, adeoq; omnium creaturarum: nam si creatura congemiscant nobiscū, & parturiant usq; in illū diem, quanto magis nostri meminerūt: impij uero, perturbabuntur in tenebras exteriores, de lumine, in perpetuas obscuritates: de orbe, in æternum interitum.

**NON ERIT EI FILIUS** &c. Florent impij opibus, & numerosa prole ante iudicium, iudicante autem Domino, diffuunt opes, proles perit, aut saltem nullus nominis in terra manet, id quod in Saule, & in Semeta, Hierem. 25. uelut in exemplari impletum est. Contra adcidit in Dauide, cuius pro sapie regnū perpetuum, promissum & datum est.

**SUPER DIEM EIVS** &c. Qui est iudicij dies: nam impij tam repentino & horrendo casu pereunt, ut nō tam admirationi, quā pauori sint omnibus maioribus et minoribus, posteris et prioribus, ut Esai. de Babylone scribit: q te uiderint, ad te inclinabūtur, Et Hierem. 50. Omnis qui transibit per Babylonem stupēbit & sibilabit super uniuersis plagis eius.

**CERTE HÆ SVNT HABITAT.**  
Id est, Sic adcidet impiorum tabernaculis, adeoq; omnibus eorum rebus: iam quum Hiobi sic adcidit, concludit igitur Bildad, Hiobem esse impium & merito adfluctū. Porro quod spiritus sanctus toties uel ad fastidium usq; in hoc libro, proponit impiorū



Impiorū iudicia exempla sunt pijs.

iudiciū, non sine cōsilio fit, scilicet, ut moneat, ne propter speritibus impiorū moueamur, scientes iudiciū capiti eorū imminere quā citissime : ut habes in hanc pulcherrimū Psal. 72. Quā bonus Deus his qui merito sunt corde: quanquā enim amici, ferē hęc iudicia in Hiobem torqueant imprudenter: sunt tamē inter uerissimę sententię in nostram doctrinam scriptę.

# CAP. XIX.

**R**espondens Hiob, dixit. Usquequo adfligetis animam meam, & obtundetis me sermonibus?

Iam denis uicibus ignominia affecistis me, & nō erubescitis cōdemnantes me.

Quod si uere errauero, mecum habitabit error meus,

Sed uere super me eleuamini, & arguitis me ad obprobrium meum.

**VSQVEQVO AD FLIGETIS &c.**

Vide obsecro, quid sit in homine, à Domino delicto: is enim Hiob, qui supra manu Domini innixus, grato animo sustinuerat direptiones bonorū, mortes liberorū, grauissimas corporis plagas, nunc nō potest uel duriusculum amicorū uerbum ferre. Non erat qui dem

dem Hiob  
quibus car  
licebat, ide  
cos inuebi  
omnium re  
xtimam scie  
enim morte  
à Deo dere  
mini? quor  
enim ignor  
uobis, id  
noua numer  
QVO  
CUM H  
miserant  
hęc parte  
conuicij, e  
Hiobem tr  
de Hiobis a  
um esset, in  
Idem habes  
famulo? p  
apud Ethio  
sio, debet t  
SED  
N. Id